



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XXVII. De his qui imponunt aut exigunt noua passagia, vel antiqua  
augmentant, ex statuto domini Ioannis Tusculani episcopi, quod incipit:  
Imponentes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

municatos denuntient , certificantes nihilo minus eos ,  
quod si in hoc peccato decesserint , ecclesiastica sepultu-  
ra carebunt. Quos si rectores scienter sepelierint , simili-  
ter ipso factō excommunicationis sententia sunt ligati. Et  
manifesti usurarii dicuntur , de quibus est publica vox &  
fama , & certa sunt indicia & argumenta , quod pecu-  
nias mutuant ad usuras , easque recipiunt , vel fructus rei  
pignoratae ex pacto , vel alias sibi imbusant , nec compu-  
tant in sortem pecuniae mutuatæ.

XXIV.

*De spoliatoribus & raptoribus stratarum , ex statuto domini  
Joannis Tusculani , quod incipit : Spoliatores stratarum.*

Excommunicati sunt ipso factō spoliatores stratarum ,  
& raptore transiunt per vias , & eisdem dantes au-  
xilium vel fauorem.

XXV.

*De his qui scienter emunt prædam , ex statutis domini Eberhardi  
Salzburgensis archiepiscopi.*

Nullus prædam aliquam scienter emere vel tenere præ-  
sumat: alioqui nisi infra mensem prædam ipsam , aut eius  
estimationem , si deprædata & ablata haberi non possit ,  
restituat , excommunicationis sententia percellatur.

XXVI.

*Qualiter decimæ sunt persoluendæ , & qualiter puniri debeant  
laici decimas sibi usurpantes , ex statuto domini Guidonis  
cardinalis apostolicæ sedis legati.*

Decimæ tam antiquæ , quam etiam de noualibus maio-  
res & minutæ , iuxta laudabilem consuetudinem patriæ  
integraliter sunt persoluendæ. Et laici decimas , maxime  
noualium & minutæ sibi usurpantes , ab ingressu ecclesiæ  
usque ad satisfactionem condignam sunt suspensi.

XXVII.

*De his qui imponunt aut exigunt noua passagia , vel antiqua  
augmentant , ex statuto domini Ioannis Tusculani  
episcopi , quod incipit : Imponentes.*

Noua passagia imponentes & exigentes , vel antiqua

ANNO  
CHRISTI  
1420.

augmentantes, singulis annis summus pontifex in coena Domini denuntiat excommunicationi subiacere: quos etiam, siue fuerint ecclesiasticæ, siue sacerdotes personæ, quocumque nomine censeantur, locorum ordinarii per se vel suos vicarios omni anno in eadem die cœnæ Domini, pulsatis campanis & accensis candelis, excommunicatos & ab omnibus evitandos usque ad restitutio-  
nem integrâ debent denuntiare.

### XXVIII.

*Quod etiam in lecto ægritudinis potest quis testari, contraria con-  
suetudine non obstante, ex statuto domini Eberhardi archiepi-  
scopi Saltzburgensis, quod incipit: Ad hæc.*

Non obstante consuetudine, quæ potius est corruptela, vbi iura testamentorum sanctionem non prohibent, quilibet, etiam in lecto ægritudinis constitutus, legare, disponere & ordinare potest de bonis sibi collatis a Deo piis locis, aut alias. Et impedimentum præstantes per prælatos compesci debent ecclesiastica censura.

### XXIX.

*De his qui tempore interdicti sepelunt corpora defunctorum, aut  
sepelientibus opem præstant, ex statuto domini Eberhardi ar-  
chiepiscopi Saltzburgensis, quod incipit: Item in quibusdam.*

Excommunicati sunt laici sepelientes intra cœmeteria locorum interdictorum corpora defunctorum, aut qui sepelientibus opem vel operam præstant: a qua non absoluantur, nec per ordinarium loci, vel per eum cui super hoc specialiter commiserit suas vices. Huiusmodi tamen absolutio non est impendenda, nisi prius exhumentur sic tumulata, & satisfactum fuerit ecclesiæ & personis, quibus exinde iniuria dinoscitur irrogata. Nec etiam tales ad communionem ecclesiæ admittantur, nisi habeant super exhumatione & absolutione prædicta literas ordinarii vel sui officialis.

### XXX.

*Quod mulieres per exclusionem a communione prohibendæ sunt ab  
illicito uestitu, ex statuto domini Eberhardi Saltzburgen-  
sis archiepiscopi, quod incipit: Cum in partem.*

Mandatur sub poena excommunicationis omnibus lai-